

A. 1917



RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

J. C. Stenler.

MEMORIAM

INSTAVRATAE RELIGIONIS  
EVANGELICAE

ANNIVERSARIO SACRO

D. XXXI. OCTOBR. A. R. S. CICICCLXII.

PIE RECOLENDAM

I N D I C I T.

*Reformatio Ecclesiae Lipsiensis ab iniuriis obtrectatorum  
vindicata.*



**C**ontulit in urbem nostram benignissimus Deus tot ac tanta gratiae suae munera, ut ea neque memoris animi pietate complecti, neque praedicare vniquam linguis satis posse videamur. Malo autem ea celeberrimi viri verbis, quam meis, exprimere, ne quid arroganter scripsisse existimer, qui summa apud nos omnia esse iudicat, quae exteris in amorem admirationemque trahant, siue vbertas soli, siue commoditas situs, siue splendor aedificiorum, siue elegantia ciuium, siue frequentia commerciorum spectetur. Accedit Academia, quae ex omnibus per vniuersam Germaniam scholis et fama nobilissima, et feracissima ingeniorum, et literis affluentissima, et celebritate frequentissima, et humanitate cultissima putatur. Sed cum felicitas rei publicae alicuius religionis sinceritate praecipue censenda sit; quia vana et inania sunt omnia naturae fortunaeque bona, nisi animae saluti consultum sit: ego quident Lipsiam hoc nomine beatissimam esse arbitror, quod purioribus sacris imbuta est, et integritatis doctrinae laudem tuerit, ornamentis reliquis longe praeserendam, omnesque diuini cultus partes ita comparatas habet, vt incorrupta sanctitas in mentes vitamque ciuium reuocari, iique aeterna felicitate potiri possint, si bonis nobis concessis, pro eo ac decet, recte et salutariter vti velint.

Debemus haec emendationi deprauatae religionis, et redintegrationi sacrorum, qua caelestis veritas ex antiqua tot aetatum caligine in lucem reducta, ab inueteratis erroribus, somniis ac fabulis, quas hominum libido adfixerat, vindicata, et in pristinum apud nos quoque restituta, nobisque libertas eam profitendi palam data est. Quam rem, a multis scriptoribus, in primis a *Ieremia Webero*, in *Lipsia Euangelica*, Immanuelis Weberi accessionibus locupletata, atque ab annualium Lipsiensium conditoribus, *Tobia Heydenreichio*, *Zacharia Schneidero*, *Dauid Peifero*, *Ioanne Iacobo Vogelio*, *Christiano Thomasio*, et post eos a *Carolo Gottlob Hoffmanno*, Wittenbergen sis

sis Academiae Theologo, multis in Ecclesiam meritis insigni, e genuinis monumentis relatam literis,\*) quo saepius mecum perpendo, eo magis in ea consilii diuini, multum ab humanis consiliis differentis, sapientiam et prouidentiae magni Saluatoris nostri plane singularis ac fere extraordinariae manifestissima argumenta suspicio. Quam grauia enim impedimenta operi, omni hominum generi in perpetuum salubri, obstatabant! quantae difficultates ac molestiae, quanta pericula et incomoda subeunda erant! quantae vexationes et aerumnæ preferenda! quanta vis, quantaeque insidiae adhibitae sunt ab acerrimis veterum rituum errorumque patronis ac statoribus, ne aditum apud nos haberet Euangelium D. N. I. C., cupide ab aliis receptum. Qui ei apud nos fauebant, et in vicina Electoratus Saxonici, purioris religionis luce dudum collustrati, loca audiendi verbi diuini vtendique sacra coena integre, secundum Christi institutionem gratia, excurrebant, seuerissimis Georgii Ducis editis coercebantur, in eosque, qui in re, ad aeternam salutem pertinente, Deo magis, quam hominibus, obsequendum esse statuebant, mulcta, carcere, exilioque grauiter animaduersum est. Neque substiterunt illae implacabiles iracundiae et acerbitates in plebe christiana: in ipsum Georgii fratrem, Henricum, Euangelicae religioni addictum, conuersae sunt. Cum enim ex numerosa nouem liberorum prole, quos Georgius ex Barbara, Casimiri, Poloniarum Regis, filia, suscepserat, solus supereffet Fridericus, sed ad curam rei publicae gerendam ineptus, isque, vix uno post nuprias, cum Agnesa, Ernesti, Comitis Mansfeldici, filia, celebratas, mense elapso, debilitatus et exhaustus viribus defecisset, prorsusque euauisset spes masculae proli: consiliis procerum adductus, supremae voluntatis tabulas consecit, in iisque cavit, ne peropima et magna hereditas regimenque prouinciarum ad fratrem, Henricum, legitimum ex formula testamenti auti heredem, veniret, ni iurisiurandi reli-

A 2

gione

\*) KAPPIVS, in *Commentatione de Scriptoribus histor. Reformationis Lipsiensis*, hos omnes non sufficere existimat, et historiam luculentam Reformationis Lipsensis conscribendam inter desiderata refert.

gione confirmaret, nolle se suosque heredes quicquam in vete re-  
ligione immutare, sanctissimeque polliceretur, accessurum se princi-  
pum Catholicorum foederi, in perniciem eorum, qui reuocatam in  
lucem veritatem profitebantur, Norimbergae inito. Si parere re-  
cusaret, nouique aliquid moliretur in religione, amplissimam heredi-  
tatem Caesari atque Ferdinando, Regi, obuenturam, donec vel fra-  
ter, vel filii eius, aut proximus ex ea familia conditions impletet.  
Quod igitur esse poterat perfugium, quae spes, destitutis ab omni-  
bus praesidiis humanis? Sed interuenit subito consiliis et machina-  
tionibus hominis diuinum Numen, atque ita rem disposuit, ut cogi-  
tanti parantique haec Georgio, testamenti formula, de fratre exhe-  
redando nondum signata et consummata, Ao. C I C I O X X X I X . die  
XVII. Aprilis discedendum e vita esset, et Henricus praeter volun-  
tatem eius hereditatem tam luculentam, lege ad se redeuntem, adiret.  
Erat is quidem, Ioanne Friderico, Principe Electore Saxonum, iu-  
dice, in literis ad Landgrarium Hassiae die V. Maii dicti iam anni da-  
tis, *ingenio praeditus, a negotiis arduis ac difficilioribus abhorrente,*  
*eodemque, tum quidem temporis, nonnihil senio debilitato, quod impor-*  
*tunis postulationibus hostiumque comminationibus et iniustis terrori-*  
*bus percelli haud difficulter posset.* Neque eo tamen fecius ad opus  
longe maximum instaurandae in Misnia religionis verae, quod du-  
dum sibi proposuerat, suscipiendum, Deo confisus, caussaque boni-  
tate fatus, animo praesente et erecto, nulla mora interposita, ad-  
gressus est, in eoque perficiendo tam stabilis et inuictus fuit, vt nul-  
lis neque blanditiis, neque pollicitationibus, neque helli periculis  
ac metu, neque querelis Episcoporum, Martisburgenis et Misenen-  
sis, neque alio quodam impedimento commoteri ac flecti posset, vt  
a sanctissimo instituto desisteret. Immo vero per medios hostium  
impetus perrupit, per omnes difficultates eniſus est, atque incom-  
moda omnia admirabili constantia et inconcussa virtute sustinuit.  
Occupatum in negotio tantae molis confirmauit, et ope sua, pruden-  
tia consiliisque adiuuit Ioannes Fridericus, Princeps Elector, eo-  
que

que rem diuino auxilio promouit, vt, ipso Pentecostes die, inexpectata rerum conuersione, expurgatis fordibus foedae superstitionis eiectisque Pontificiae Missae corruptelis, Euangelico ritu sacra apud nos fierent, et doctrinae, nulla labe contaminatae, praecones ad populum ingenti numero confluentem verba facientes, publice audirentur.

Itaque, cultu veri Numinis in integrum restituto, veraque et incorrupta doctrina nobis redditâ, Lipsia factâ est vrbs vbertate caelestis sapientiae copiosa ac redundans, oraculum Orbis, veritatis diuinæ studiosi, fons quidam sacrorum riuorum, qui latissime per tot gentes effunderentur, artium ac literarum domicilium, bonae mentis templum, sanctitatis arx et vere vrbs Iehouæ, rerum omnium principis ac domini, qui in hoc emendati cultus sui opere magno documento ostendere voluit, quam possit omnia, humanis cogitationibus et consiliis contraria, efficere. Diuinum ergo munus ac beneficium est religio ista, quae ad beandum ciuitatis publicum statum, atque ad promouenda incrementa et stabilitatem communis salutis magnam vim habet. Ad Deum solum euentus, tam inopinatus, referendus est: illi soli debetur tanta rerum commutatio: nimis erant tenues et angustæ magnorum Principum vires ad rem procurandam, quæ inusitata diuinæ maiestatis argumenta prodit.

Quod etsi nullam habere dubitationem posse apud eos videatur, qui incorruptius iudicant, et suis quidque momentis aestimant: reperti tamen sunt homines temerarii, audaces et improbi, qui optimum ac saluberrimum Dei opus, faustissimis comprobatum euentis, acerbissime reprehendere, quantumque in ipsis esset, infestum bonis et imperitis iniuisum reddere conarentur. Quid enim tam sanctum, tam diuinum et iniuiolabile est, quod peruersa ingenia non insectentur et criminationibus perstringant, pessimo consilio excogitatis?

Evidem non miror, libidinem eam criminosis infectionibus petendi institutam apud nos Reformationem, eamque procaciibus scriptis diffamandi in Ecclesia Romana dominari. Posteaquam

## VI

enim per eam maximum cepit detrimentum, et monarchicum, quod sibi Pontifex arrogat, imperium apud nos etiam concussum et euersum est; aegre id ferunt curiae eius praesides ac doctores: cumque nullum habeant veritatis praesidium; confugiunt ad mendacium et obtestationes, desperataeque caussae suae per conuicia et maledicta consilere student, vbi eam saeuitia tormentisque et profuso confessorum adsertae religionis sanguine defendere nequeunt. Testantur hoc eorum scripta, in quibus plena sunt omnia eiusmodi calumniis. Dux se et antesignanum praebuit Ioannes Cochlaeus, Georgii Ducis Capellanus, dein Francofurti Collegiate Ecclesiae ad aedem Mariae Decanus, obtusus vir iudicii, et, ut Lutherus non male iudicauit, stupidus, scribax interim, et linguae proteritate caeteros superans, totusque ex impudentia mentiendi et criminandi compositus. Is quoniam incredibili aduersus Lutherum odio flagrabat, pluribus libellis criminosis in eius famam grassatus est. *Commentaria eius de actis et scriptis Martini Lutheri Saxonis, chronographice ab anno 1517 usque ad annum 1546 conscripta,* insulsa sunt satyrae. Adiungendus ei est Florimundus Ræmündus, petulans et audax calumniator, cuius opus historicum *de ortu et progressu ac ruinis haeresum XVI. saeculi,* non nisi nugas ac fabulas continet.\*)

Qui ex impurissimis his fontibus sua hauserunt, Lipsiensibus in recipienda doctrina Euangelica desultoriam animi leuitatem exprobrant. Vno impetu, vno die, audit a vnica Lutheri concione, eos ab antiqua, Catholica et Prophetica defecisse religione, celeriterque mutasse sententiam et praecipi gradu ad nouam doctrinam ruisse perhibent. Ita Ludouicus Maimburgius, et, qui Fleurii historiam ecclesiasticam continuauit, Faber, iudicant: Ille in *histor. Lutheranissimi T. I. p. 244.* hic in *histor. eccles. T. XXVIII. p. 223.* Etsi autem aduersariis concedimus, instabiles esse in negotio religionis hominum animos, eosque tam repente saepe in contrarium verti, vt nulla

\* ) Valent. Alberti, *de Florimundi opere historico de haeresibus,* in Boernerii Pictate Academiae Lipsiensis in sacro sanctam Reformationis Lutheri memoria p. 290. sq.

nulla sit tanta ventorum vicissitudo, nullae agitationes tam variae ac celeres, quam multiplex et commutabilis est animus hominum, qui rebus nouis in religione student: longe tamen absuit a nostris inconsulta illa mutandae religionis ratio. Nihil hic temere, aut fortuito, nihil repentina aliquo motu, nihil raptim, nihilque nouitatis studio, inconsiderate nihil negligenterque actum est. Animi diligenter praeparati erant, multo ante, quam Henricus, Princeps probitate commemorabilis, adgrediebatur opus. Non pauci ciues satis imbuti disciplina Saluatoris, non excitati nouitatibus, sed fastidio superstitionis, cogitationem suscepserant libere profitendi doctrinam euangelicam. Ex quo enim Sebastianus Froeschelius, Diaconus Vitembergensis, Lutheri vsus institutione, ingressus urbem, cognito ciuium, audiendi euangelii, desiderio, multisque verbis rogatus, in suburbio incredibili hominum multititudini incorrupte interpretatus erat oracula sacra, mirum dictu est, quantam accenderit sicutim veritatis accuratius cognoscendae. Neque potuit ea post haec extingui, aut reprimi, cum is Euangelii praeco omni iniuriarum genere exagitatus et infamia quadam notatus, eiiceretur ex vrbe, et graues orirentur tempestates. Itaque faciliorem ac solutiorem inuenierunt rationem emendandi cultum diuinum Theologi, quos in consilium adhibuit optimus Princeps, Lutherus, Melanchthon, Iustus Ionas et Caspar Cruciger, Lipsiensis, in quo nihil arrogantiae reperiebatur, nihil insolentiae, nihil facinoris, nihil peruersitatis, sed natura recta, candida, modesta, amans veritatis; vt de eo iudicat Erasmus Reinholdus. \*) Atque hi grauissimam rem meditate cogitateque egerunt, et bene ac sapienter rem sacram constituerunt: eaque constituta, tantum oratum est in ciuitate gaudium, vt, in genua prouoluti, fusis lacrimis, Deum pro depulso foedae ac diutinae seruitutis dolore, et recuperata libertate celebrarent.

In Academia, de cuius Theologis Scholasticis conquestus erat Lutherus, ad Sylvium scribens, quod ne vnum quidem capitulum

Euan-

\*) V. habitam de eo illius Orationem, in *Declamation. Melanchth. P. III, p. 303.*

## VIII

Evangelii Ioannis, vel librorum intelligentia,\* tanta diligentia et contentione diuina oracula tractabantur, ut Petrus Schade, Mosellanus, Graecae Linguae apud nos Professor, ad Conradum Mutianum, Canonicum Gothanum, scriberet: *Tota iuuentus in sacrarum literarum studia prona fertur. Ipsum adeo me, certe non optimum praceptorum, Paulinas Epistolas interpretantem, audiunt plus minus trecenti. Vide, quanta rerum vicissitudo! Olim hae literae, ut ieiunae, sordebat omnibus, nunc, caeteris reiectis, hae solae placent.* Nonne autem in eo vestigia prouidae Summi Numinis curae impressa cernimus, quae animos ad recipiendam facilius doctrinam puriorem praeparauit? Eant igitur aduersarii desinantque nobis nimiam festinationem in re, quae deliberari diu satis nequit, vitio vertere. Festinarunt maiores nostri, atque fuga ex Babel, subministrata diuinitus fugiendi opportunitate, saluti suae consuluerunt. Festinarunt, diuino excitati mandato, non animi leuitate, aut coeco impetu; non cupiditate rerum nouarum abrepti, sed desiderio veritatis, quae influit in animos, eosque certos, tranquillos ac sanctos facit.

Romanae ecclesiae religionis hoc proprium est, ut eam doctores eius hominibus, a sacris christianorum abhorrentibus, facile tradere et commendare possint. Ea enim opinionis leuitate magis fertur, quam doctrinae firmitate et constantia regitur. Tota fere humana fide ntitur, qua nihil est fallacius et incertius: ignorantia magis est, honesta specie obducta, quam rerum diuinorum vera, certa et ad vitam, Deo probatam, conformata cognitio: tota ad theatrum ac pomparam comparata est. Nostra non ex riuulis traditionum humanarum lutulentis, sed ex ipsis hausta est fontibus: non ad ritus ac caerimonias facta, sed ad disciplinam Magistri nostri seuere diligenterque exacta est: tota directa ad certam aliquam normam, ut nusquam aberret, nusquam titubet ac vacillet, nusquam incertis vagetur regionibus, sed habeat, ubi ita consistat, ut loco suo nullis dubitationibus et casibus aduersis moueri fides possit. In ea igitur religione instillanda omnium

\* ) T. I. Epist. XLIII.

omnium maxime summa requirebatur diligentia et cura; eaque certe adhibita est a doctoribus, emendando diuino cultui praefectis, ut temere nihil arriperent, neque falsa pro veris tenerent nostri, aut vt cumque scirent religionis capita, sed ut recte accurateque omnia perciperent. Poterant etiam praestantissimi et constantissimi in rebus consiliis viri cum fiducia et sine ullo lapsu periculo ac metu in opere versari, quod scirent esse cum honore diuino et cum salute animarum coniunctum: in quo adiutorem et praesidem summum ipsum haberent Deum: cuius auxilium efficax ita illis praesto fuit, ut uberrimos celerrimosque fructus praestitae fidei ac diligentiae viderent.

Succurrit hic nouum Bellarmini conuicium de decreto Lipsiensi, quo statutum sit, solam Lutheri versionem habendam esse authenticam, et cui apud nos, quos infami haereticorum sui temporis nomine dedecorat, Melanchthonem et Pomeranum, Maiorem, aliquosque permultos subscriptissime fingit, adducto in medium teste Staphylo; *Controuers. de verbo Dei T. I. L. II. C. X. p. 48.* Nos vero cum nullam Scripturae versionem pro authentica habeamus, quod alio loco vitio nobis Bellarminus vertit: quo modo Lutheri versionem dignam ea auctoritate iudicare possumus? Et quodnam illud decretum Lipsiense sit; quo tempore factum sit; scire velim: cum nihil de tali statuto ac placito referant Commentarii de rebus apud nos gestis. Staphyli autem testimonium nullum est: quia modum sui in criminando Luthero non habuit, et maledicta in eum omnia coniecit.

Quam vero est dolendum extitisse inter eos, qui nostrae communionis esse videri vellent, non modo iniustos tanti operis diuini aestimatores, sed etiam malignos illius obrectatores. Vixit in aula Henrici Ducis, cui sacrorum repurgationem in acceptis ferimus, Bernhardus Freydigerus, qui fuit a literis Principis, laude pietatis ab aliis Saxoniae Principibus eiusdem nominis distincti. Quam cum consentientibus historicorum proborum suffragiis, ob religionem in

B

Deum

## X

Deum moresque, ad antiquam fidem compositos, meruerit; mirum est, eum in reprehensione incurre hominis potuisse, quem tot beneficiis ornauerat. Etenim ad scribendam narrationem vitae Henrici sui adpellens animum Freydigerus, id sibi negotii datum esse credidit, non ut veram vitae Henrici imaginem exprimeret, sed ut mendaciis et calumniis, prauo mentis consilio excogitatis, eam inquinaret. Ad eas merito referimus, quod Principi, constanti fama atque omnium sermone celebrato, modo ebriositatem et fordiciem, modo impudentiam, modo stuporem, modo incertam fidem, modo alia vitia exprobrare non dubitat. Vicit autem caetera ea, quam de Henrici animo in doctrinam, a Luthero ex verbo diuino adsertam, impudentissime communisicetur, caluninia. Namque ea, quae in religione emendanda praestitit, non veritatis studio, sed aliorum incitationibus tribuit; neque eum in negotio illo vterius progressum esse singit, quam alios Protestantium Ordines facere obseruasset, vel Princeps Elector praescripsisset. De coniuge Catharina criminari pergit, quod, Principis Electoris auctoritate nixa, et odio erga Georgium Ducem inducta, a marito petierit, ut doctrinam euangelicam reciperet; quod alii tamen vehementer etiam atque etiam dissuaserint. In tanto animorum dissidio miseram fuisse Henrici conditionem perhibet, qui, quo se verteret, et quid caperet consilii, nescierit.

Talis si fuit Henricus; quid est, quod suscepit apud nos Reformationem et abrogatam superstitionem tantopere praedicandam esse dueimus? et quid diuini in omni opere illo suspicere possumus, quod Princeps peregit, aliorum potius consiliis, quam nutu et arbitrio diuino obsecutus, longeque alia animo voluens, quam gloriam Dei et animorum salutem?

Sed his impudentis et perfidi hominis obtrectationibus opponimus auctoritatem et testimonia firma et grauia virorum, a studio partium alienissimorum sanctissimorumque, Lutheri, Riuii, Fabricii, Dresseri, Chyraei, Seckendorffii et aliorum, qui ex monumentis, omni

omni fide dignis de vita Henrici accommodate ad veritatem ex-  
 posuerunt, certaque fide trididerunt, suisse in eo animum integrum  
 singularique clementia temperatam seueritatem, magnam in Deum  
 pietatem, incredibilem in ciues suos amorem, indolem aptam non  
 minus fago, quam togae, et artibus vtriusque instructam: praeterea  
 eum laboris suisse patientem, et in agendo impigrum, inanum vo-  
 luptatum contemtorem, denique ad exemplum virtutis magnorum  
 Principum conformatum. Euangelium, tenebris ante obductum et  
 luci suae redditum, sincere eum amasse, detestatumque esse Bullas Pon-  
 tificum, et petiisse a Luthero, ne vacillantem sese ac dubium confir-  
 mare per literas recusaret. Contra omnem fortunae imperium pree-  
 munisse ipsum se constantia, et ingenuo professum esse, malle se cum  
 carissima sibi coniuge, omnibus spoliatum bonis, vel ostiatim stipem  
 petere, ac verbi diuini solatio frui, quam maximas possessiones cum  
 offensione Dei, veritatis et conscientiae bonaे mentis consequi. In  
 opere abolitae superstitionis et purioris Dei cultus redintegrati de-  
 monstrasse eum fortem animum, et in disponendis Ecclesiae rebus  
 optima consilia secutum esse: cumque Ferdinandus, qui pro Imper-  
 ratore in Germania tum erat, legatos misisset, qui eum primo preci-  
 bus, mox iussis minisque ab instituto abstraherent, respondisse, nihil  
 se suscepisse, cuius rationem Deo et Caefari reddere non posset.  
 Vicinum morti fiduciam eum suam, in solo Christo defixam, reti-  
 nuisse et tranquille ex hac vita migrasse, firma salutis spe proposita.\*)  
 Itaque supra omnem inuidiam, omnesque criminationes cuecta est  
 Henrici gloria et virtus, eamque nulla vñqnam posteritas grata con-  
 ticescat, quamdui Lipsa ciues habebit, doctrinae salutaris studiosos.  
 Atque ipse Freydigerus testis illius erit, qui alio loco non potuit  
 dissimulare, suisse eum Principem liberalem, clementem, fidum,  
 plium, sineque dolo ac fuso.

B 2

Vin-

\* ) Wernsdorffius, de Henrico Pio, Saxonie Duce ac Misniae Marchione. Wit-  
 teb. MDCCXIV. Frid. Struntzii in oratione, gloriam Henrici Pii, Saxoniae  
 Ducis, a Bernardi Freydigeri calumniis vindicante. Wittebergae MDCCXIV.

Vindicanda nunc esset Ecclesiae et Academiae nostrae Reformatio a Godofredi Arnoldi iniuriis, qui in historia religionis et haeresium acerbe eam pungit, et criminatur, quod nulla ratio verae animorum in melius commutationis et sanctitatis vitae in ea habita sit: quod omnia relata sint ad externos quosdam ritus et caerimonias, quodque imperita multitudo opinione erroris decepta sit, omne Evangelicae religionis decus in externis illis esse, eumque tum demum partes implere genuini Ecclesiae ciuis, ea qui accurate obseruet. *Haeretiol. P. II. L. XVI.* Sed constat inter omnes, quo animo haec scripsit Arnoldus. Enim vero indignissima cordato viro simulatione se venditauit purioribus sacris esse addictum, re ipsa alienum plane animum ab illis demonstrauit. Matrem suam vocavit Ecclesiam Lutheranam: cur autem eam ex instituto deditaque opera tantorum insimulauit criminum, eiusque imaginem tam tetram, deformem, vitiosam et corruptam repraesentauit, ut iurares, Arnoldum aut professum fuisse Ecclesiae nostrae hostem, aut perjurum apostamat? Conquisiuit enim studiose, quidquid ad aegre ei faciendum pertineret, coetumque nostrum execrandis conuiciis onerauit. Ita autem ea sunt comparata, quae ad obscurandam Dei gloriam in opere restitutae nobis verae religionis commentus est, ut eam non modo extinguiere non possint, sed etiam illustrandae ei magis inseruant. Atque id quidem sapienter a diuina in nos benignitate prouisum est, ut conuicia et contumeliosae aduersariorum voces, in doctrinam nostram cultusque repurgati rationem emissae, arma contra ipsos hostes suppeditarent, materiemque nobis praebarent veritatem religionis Evangelicae magis magisque stabiendi et clarius intelligendi argumenta diuinae prouidentiae in opere Reformationis illustrissima. Accusat Reformationem, apud nos institutam, Arnoldus, quod nulla sere cura animi corrigendi internaeque pietatis, quam Deus maxime spectet, adhibita sit: quod actiones quaedam externae habendi Deo honoris praescriptae, et caerimoniae mutatae sint: his contentos fuisse Theologos: eosque, qui duces tam imperitos

seque-

sequerentur, vltra non esse progressos. Neque mirum est, Arnoldum ita iudicasse. Qui enim incredibili animi impotentia ac petulantia omnem Ecclesiam, ministerio Lutheri repurgatam, tamquam corruptissimam, ignominiae ita exposuit, ut omnes superarit Iesuitas: Qui libros Ecclesiae nostrae Symbolicos, quibus a coetibus heterodoxorum discernimus, noxios, impios, libertati christianaee contrarios, et aptos ad reducendum Papatum esse pronunciauit: Qui praestantissimos quoque Theologos indignissime habuit, et omnia diligenter inuestigauit, quae ad ignominiam et dedecus eorum pertinere existimaret: quomodo parcere potuisset diuinae rei, apud nos gestae, et instrumentis, quorum opera Deus in ea instauranda vsus est? Qui ipsam Scripturam sacram non habuit pro fidei vitaeque norma, sed ad interni spiritus sui effluxum eam reuocari voluit; cur vereri debuisset ea reprehendere, quae ad hanc normam perfecta sunt?

Itaque longa aduersus eum disputatione non esse opus arbitror; cum tot prostent documenta exploratae fidei, qui eam iniuriam a nobis depellunt, caussamque nostram ab ipsis calumniis defendunt, et demonstrant, nihil esse in opere praetermissum, quo incorrupta sanctitas in mentes vitamque hominum infundi posset: cum etiam illi, quos testes narrationum suarum excitauit, illis ipsis in locis, ad quos prouocauit, eidem contradicant: cum denique ipsum poenituisse Arnoldum eorum constet, quae contra Ecclesiam nostram contumeliose scripserat.

Restat, vt illis respondeam, qui nobis obiiciunt, retinuisse nos in Reformatione ciuitatis nostrae ritus, quos ridicule et inepte usurparit in sacris faciendis Romana Ecclesia; quibus vulgi stultitia delebetur: quo nullum clarius signum et argumentum corruptelae nondum a nobis depulsa reperiatur. Atque hi quidem sciant, aperte ingenuique nos fateri, mansisse apud nos ritus quosdam, qui abrogari potuissent: mansisse delectum Latinorum quorumdam hymnorum, quos antiquitas receperat et piorum probauerat usus: mansisse

## XIV

amicula linteal togasque Dalmaticas, induendas ab Euangelii praeconibus, sacra ad aram fakturis, aut concionaturis e suggestu: mansisse usum campanulae in administranda coena: mansisse alia. Verum recte contendimus, seruari tales ritus, et utiles esse, si non per se probentur et suscipiantur; et quod habeant utilem admonitionem, et quamdam fidei pietatisque exercitationem, ut praecclare docet Augustana Confessio. Atque huiusmodi ritus illi sunt, quos retinuimus, nempe a commentitia religione purgati, publicique consensu testimonio comprobati. Neque inest illis aliquid, quod non dignitatem aliquam et conuenientem cum diuinae maiestati, tum officii sanctitati ornatum et decorem habeat. Neque omittimus saepe monere nostros, habere eos non ipsam religionem, sed externam aliquam religionis disciplinam, aptumque modum externo signo testandae et exercendae fidei et pietatis: qua in re merito iuri ac libertati Ecclesiae aliquid relinquitur. Inseruendum praeter ea tempori erat, consulendumque tranquillitati publicae, et caudum, ne tenerae ruidorum auditorum mentes nimia rituum mutatione offenderentur. v. Deylingius, Obs. Miscell. P. V. p. 418.

Agnoscamus igitur digitum Dei in hoc opere, bonitatisque caelestis diuitias, per verbi diuini lucem exhibitas, religiosa mente colamus, et supplices imploremus sumnum Numen, ut nobis veniam ingrati animi vitii, quo multi se contaminarunt, concedat, atque a nobis quasuis offensiones auferat, ut digne Euangelio, digne Christo, omnia fiant, et Christum vivere, Christum regnare, Christum imperare, vetere Francorum formula, a Dauide Blondello singulari libello illustrata, vere adpareat.

Obrectatores, qui doctrinae, cultus, morum ac disciplinae emendationem iniquis censuris suis inuisam reddere conati sunt, vatum etiam induerunt personam, et, certo futurum esse, praedixerunt, ut res, subito peracta, subito euanescat atque intereat. Deus autem, cuius auspiciis opus, post aetatem Apostolorum maximum, gestum



gestum est, irritam fecit vaticinationem. Stamus adhuc per eius  
gratiam inter tot aerumnas ac difficultates atrocissimorum temporum,  
salui et incolumes. Vana fuerunt aduersariorum consilia, in perni-  
ciem nostram, et excidium instauratae veritatis Euangelicae exco-  
tata; in nihilum redacti sunt eorum conatus; repressae insidia: quia  
nobiscum facit diuinum Numen, et nulla in re nobis deest. Ex-  
citat subinde, in tanta hominum ad exitium sentiendi viuendique li-  
centia praecepsantum, multitudine, viros peste ea non infectos,  
sed probos, qui a melioribus partibus stant, et sumnum Dei bene-  
ficium grata mente prosequuntur, curantque, quantum in se est, ut  
res sacra, admirabili prouidentia adserta, integra et inuiolata con-  
seruetur. Atque horum in numero fuit IOANNES CHRI-  
STIANVS HERMANNVS, Chemnicensis, I. V. Candidatus, cuius  
sancta nobis merito semper erit memoria. Is enim pietatem suam  
in restituta sacra non modo A. R. S. CICIOCCCLVIII. publico  
compositoque et ornato specimine declarauit, habita ipso die festo,  
quo memoriam religionis repurgatae recolimus, solemni oratione,  
qua multis argumentis demonstrauit: *Essē Lutheranorum, instaura-  
tae religionis suae cauffa, Graecas et Latinas literas quam diligentissi-  
me excolere*; sed etiam, cum incideret in morbum, grauiterque aegro-  
taret et efficacitatem religionis, quam sincere professus erat, fractis vi-  
ribus suis, in animo sentiret, discessurus ex hac vita, hoc anno, d. IV.  
Mart. testamento suo cavit, ut Ordini Theologorum in hac Academia  
fors mille imperialium, moneta proba, aurea, Ludouici G. R. imagine  
signata, solueretur, et poneretur in foenore; vsurae autem eius quot-  
annis ad ciuem Academiae venirent, qui versatus sit in literis, quae  
ab humanitate nomen habent, cui Decanus Ordinis partes imponat  
habendae festo Reformationis die anniversariae orationis. Satisfacere  
studiuimus, pro eo ac decet, viri pii voluntati, et delegimus oratorem,  
doctrina liberali et virtute valde nobis probatum, cui in Schola Tho-  
miana et Academia multus fuit cum scriptoribus Graecis et Latinis  
vhus, quem ad Theologiam bene accurateque discendam sapienter  
accom-

VD18

QK 4c 6091 x 352 1953

XVI

accommodauit, Virum nobilissimum, CHRISTIANVM FRI-DERICVM SCHMIDIVM, Roeglicio Martisburgensem, Art. Magistrum. Atque is oratione sua confirmabit ea, quae HER-MANNVS erudite persecutus erat, quantumque bonaे literae ad restituendam doctrinae sacrae integritatem et debellandam superstitionem dominationemque Romanam attulerint praesidii, ostendet. Cum autem non desint, qui immoderate versantur in praedicando earum vsu, illud quoque, quod nimium est in laudibus adiumentorum, quae ad emendandam religionem humanitatis artes attulerunt, definet.

Speramus, ciues nostros ita colere memoriam beneficiorum infinitorum in restituta re sacra, quibus adhuc omnes perfruimur, vt concitandi cohortatione nostra ad eam, cras H. L. Q. C. audiendum, haudquaquam sint: Attamen quod est officii nostri, et moris, apud nos recepti, libenter facimus, et ILLVSTRISSIMOS COMITES VTRIVSQUE REIPVBLCIAE PROCERES GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE ARTIVM AC SCIENTIARVM IN LITERARIA HAC VNIVERSITATE STVDIOSOS ad solemnum Panegyrin inuitamus. Hoc autem praecipue curae nobis cordique esse debet omnibus, vt coniunctim Deum obtestemur, vt euangelicam veritatem, caeleste illud gratiae suae pignus, nobis posterisque nostris conseruare, et, propter sanctum Euangeliū suum, quod, inter tot mirabilis prouidentiae suae testimonia, integrum dedit, propitius respicere miseriam Academiae, Vrbis et Patriae, ac prohibere velit, ne hostes ex decrem-tis nostris laetitiam capiant. Medeatur potius malis publicis, quae nos premunt, iubeatque studia literarum ita apud nos efflorescere, vt cum religione tuenda arctissime coniungantur. P. P. ad d. XXX, Octobr. A. P. G. CICICCLXII.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



# Farbkarte #13



# ECTOR MIAE LIPSIENSIS J. C. Stenler. MEMORIAM ATAE RELIGIONIS NGELICAE

VERSARIO SACRO

TOBR. A. R. S. CICICCLXII.

E RECOLENDAM

I N D I C I T.

*iae Lipsiensis ab iniuriis obtrectatorum  
vindicata.*

